

Cassii Dionis librorum perditorum fragmenta Parisiensia.

Primus edidit F. Haase, Dr.

Quum hoc potissimum consilio peregrinas bibliothecas hancque omnium locupletissimam Parisiensem adiissem, ut militares scriptores Graecos Latinosque neglectos adhuc et oblivione paene sepultos tandem aliquando in lucem producerem, dum totum me huic uni studio dedo naviterque materiam omnem comparo, quam praeter spem reperio amplam usuque insignem, repente me paene invitum ab instituto avocaverunt Cassii Dionis fragmenta felici casu reperta. Erat enim mecum Parisiis vir doctissimus G. Kramerus Berolinensis, cuius mihi consuetudine nihil iucundius, nihil exoptatius contigit, cuiusque discessu magnopere dolui. Is postquam in aliis terris ad Strabonem edendum tantas collegit copias, quantas raro cuiquam congerere suisque ipsum oculis adspicere datum est, unum hoc sibi reliquum fecerat, ut Parisienses quoque codices denuo excuteret, inter quos sciebat unum esse et vetustate et integritate longe omnium praestantissimum. Hunc ille quum mihi aliquando ostenderet, adverterunt me folia quaedam, in quibus recentior scriptura veteri inducta erat; quae quum curiosius perlustrarem, facile apparuit, contineri iis inter alia boni alicuius scriptoris historici fragmenta, quae neuter nostrum legere se meminisset. Kramerus vero quum totus in Strabone suo occupatus paucisque post diebus Parisiis profecturus non posset illa diligentius examinare, ego quid hoc rei esset curiosius quaesivi; et quum fragmenta inedita esse intelligerem eaque, nisi con-

iectura fallit, ex integro Cassii Dionis exemplo decerpta, quamvis aliorum laborum mole oppressus committere nolui, ea ut laterent diutius. Et hoc quidem optandum mihi imprimis videbatur, ut edenda curarem iam nunc, dum in re praesenti sum licetque ad codicem ipsum redire, si qua dubitatio subnascitur; alterum vero prae hoc parvi aestimabam, quod supersedendum videbam omni doctrinae instrumento, quo licebat alio tempore libellum exornare, si in patria otium contigisset propriorumque librorum usus. Neque enim hoc rei caput est; et certe iniquum erit, si quis a me nunc operosiores commentationem desideraverit. Nec tamen hoc eo pertinet, ut negligentiam aliquam meam excusem; quod enim agendum fuit praeter cetera, ut fragmenta accurate describerentur, id ego tanta fide tantaque diligentia feci, ut etiam insigne taedium magna constantia devoraverim. Vix enim dici potest, quantus labor sit, evanida litterarum vestigia, quae omnem oculorum aciem fugiant, ita indagare, ut certus sis, non tuam te coniecturam sequi, quae saepe oculorum testimonium aut praecurrit aut corrumpit, sed ipsam tenere scripturam veterem manifestis indiciis comprobata. Atque id quidem fieri nullo modo potest aliter, nisi ut eosdem apices sexcenties intueare, modo huc modo illuc folia versans, et modo in hoc modo in alio lumine ponens, si forte ex levicula aliqua umbra aut litterae aliqua particula totam possis agnoscere; ad quam rem magno mihi usui fuit, litteras omnes et quasdam earum coniunctiones separatim in schedula accuratissime depingere et hac quasi norma uti, quotiens quamque litteram magis augurabar scriptam esse quam videbam. Interdum vero etiam medicamine aliquo utendum fuit, et quod amicissimus Ritschellius nuper testatus est, quum eandem operam in Plauto suo magno cum fructu posuisset, id ego quoque expertus sum, liquorem qui fit e Galli nuce, nullam habere vim in veteri membrana, utile vero esse quod dicunt Ammonium hydrosulphuratum, cuius mihi quidem

hoc temperamentum commendatum est, ut sulphuris duae, salis ammoniaci et aquae singulae partes sint. Neque tamen tam certus est huius medicaminis effectus tamque commodus usus, ut non aliud melius desiderandum videatur; nam ut odorem taceam sane tetrum et abominandum, quem decet bonarum litterarum gratia dulcem putare, hoc habet magnum incommodum ille liquor, quod ubi membranae illitus est, quasi coagulat et quas vix elicit litteras, easdem rursus nova aliqua obscuritate obteggit inducta alba membranula, quam nimis sedulo si detergas, negotium corrumpas. Accedit quod in locis difficilioribus non sufficit medicaminis vis et quasi medio in conatu deficit; saepe enim vidi ita eo elici scripturam, ut eam nondum plane perditam esse appareret, non tamen ita, ut legi posset. Denique alii loci erant, in quibus opera omnis frustra fuit. Quamobrem optandum est vehementer, ut quum ferveant hodie naturalium rerum studia, nisi nimium erit philologorum odium, reperiat aliquis in nostram gratiam aliud medicamentum efficacius illo. Ceterum mihi quidem eo aucta est difficultas, quod scriptura recentior veteri superposita, quamquam nullius pretii est, tamen quum Strabonis sit, conservari debebat religiosissime; qua in re saepe bilem movit infausta librarii manus, qui non solum ipsum praestantissimum codicem perdidit, sed etiam pauca haec fragmenta data opera obscuravit, nec dicere attinet, quotiens exsecratus sum hominis importunitatem, quod saepe litteras suas non aut supra aut infra paululo posuit. In summam neque ego ipse unquam putaram tam asperum tale negotium esse, nec alii putabunt, nisi experti fuerint.

De codice ipso, qui quidem numero 1597 notatus est, paucis sic habeto; accuratius enim de eo exponet Kramerus aut in Strabonis editione, quam ut mox feliciter absolvat, vehementer optandum est, aut in dissertatione quadam, quam de editionis eius ratione omnique negotio critico quod in ea suscepit, propediem editurus est. Ipsi autem Strabonis libri

quum in membrana bona et pura eleganter perscripti essent, accidit nescio quo casu, ut multorum foliorum margines plus minus laederentur, ita fere, ut mures videri possint hanc perniciem pulcherrimo libro intulisse. Quod damnum ut resarciret librarius aliquis seculo XVI., eam cuique folio laciniam agglutinavit, quae cuique ablata erat, et cum membranae penuria laboraret, praeter paucissimas schedulas, quas vacuas habuit, folia plurima ex aliis codicibus decerpit eaque dissecta et in eam formam, qua ubique opus erat, redacta Straboniano libro adaptavit, scriptura veteri, quoad eius fieri potuit deleta aut obscurata, quae tamen adhuc legi potest commode, ubi non aut alia scriptura ei illata est, aut inductum gluten, quo folium alteri adiungeretur. Glutinis autem imprimis perniciosa vis fuit, adeo quidem, ut plerumque vix tenuissima veteris scripturae vestigia appareant, quae magis etiam eo obscurata sunt, quod eius scripturae, quae erat in folio Straboniano, inversa imago illis impressa est, qua quidem in re etiam aliud fuit nefarium librarii peccatum. Quum enim folia foliis agglutinaret, non in mentem ei venit conservare scripturae Straboniana quantum fieri posset, sed quo firmiter illata folia adhaerent, illius satis lata spatia glutine obtexit; neque etiam quae sic obtexerat verba, accurate describenda putavit in folio adiuncto, sed cum eo stupore esset, ut codices alios aliis praestantiores esse non sentiret, recentioris sectae librum arripuit et ex eo supplevit et quae ipse obtexerat et quae antea iam in laesis marginibus perierant. Eodem enim tempore scripta videntur supplementa, quo resarcirentur folia et denuo ligarentur; et in novo libri tegumento Henrici IV. nomen et insigne conspiciuntur. Agglutinata folia resolvit Laporte Duthail, ut quidquid sub iis reliquum est veteris scripturae describeret; et cum ille rursus agglutinanda curasset folia, Kramerus nunc, qui suo iure eius diligentiae diffideret, impetravit, ut eadem denuo resolverentur; tanta enim est in Hasio, librorum Mss.

Conservatore, humanitas, tanta in adiuvandis studiis nostris facilitas, ut dubites utrum hac laude maior sit an amplissimae doctrinae copiis, quas iamdudum nemo est quin admiretur, quamvis vir praestantissimus et muneribus gravissimis adeo occupatus sit et tantum temporis sui aliorum studiis transmittat, ut non permittat sibi proferre insignes ingenii doctrinaeque fructus, quorum spem fecit. Hasius igitur, cui ego quoque multis nominibus immortalem gratiam debeo, postquam folia caute soluta sunt, mihi ea utenda concessit, neque patietur ea iterum aliquo glutine affigi, sed alio modo adiungenda curabit.

Iam vero codices ii, e quibus folia agglutinata decerpit librarius, quantum equidem intellexi, tres fuerunt, iique omnes antiquissimi et ipso etiam Strabonis libro antiquiores. Ex his unus quidem is, e quo longe plurima folia aut foliorum particulas desumpsit, sunt enim numero triginta sex, litteris uncialibus pulcherrime scriptus fuit; continetur eo Graeca veteris Testamenti interpretatio; certe in foliis 217. et 218. legi Genes. cap. 24. ubi narratur Rebeckae historia, cuius quum exiguam particulam, quam forte descriperam, cum exemplo edito conferrem, vidi aliquas esse scripturae diversitates, quae satis memorabiles videbantur. Sed quoniam plura conferre haud levis labor est nec licet mihi nunc plane nova studia arripere, nolui accuratius haec folia pertractare. Neque dixerim ea omnia, quae sunt uncialibus litteris scripta, ex eodem codice eiusdemque argumenti esse; nihil tamen in iis vidi, quod non aut e Veteri Testamento aut ex aliquo scriptore ecclesiastico petitum videatur. Locus autem ille quem indicavi, sic in codice legitur fol. 217. a.: *καὶ ὕδρευ-
σατο πάσαις ταῖς καμήλοις, ὁ ἄνθρωπος κατεμάθανεν αὐ-
τὴν καὶ παρεσιώπα τοῦ γινῶναι, εἰ εὐδοῶκει ὁ κ[ύριος] τὴν
ὁδὸν αὐτοῦ ἢ οὐ· ἐγένετο δὲ ἡμίχα ἐπαύσα[ν]το πᾶσαι αἱ κά-
μηλοι πίνουσαι, ἔλαβεν ὁ ἄνθρωπος ἐνώτια χρυσῶ ἀνὰ
δραχμὴν ὀκτῆς — — ἐπὶ τὰς χεῖρας. Item in fol. 218. a.:*

— τὰ ἐνώτιυ καὶ τὰ ψέλια ἐπὶ τὰς χεῖρας τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ καὶ ὅτε ἤκουσεν τὰ ῥήματα Ρεβέκκας τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ λεγούσης οὕτως λελάληκέν μοι ὁ ἄνθρωπος καὶ ἦλθεν πρὸς τὸν —.


Alter deinde codex, cuius paucissimas tantum minutissimasque schedulas repperi, non uncialibus litteris scriptus fuit, sed tamen item antiquis et admodum similibus iis, quae sunt in fragmentis Dionis; manus tamen diversa fuit. Argumentum quale fuerit difficile est augurari, quum nullam schedulam deprehenderim, quae integram aliquam sententiam contineat. Una est, folio 186. agglutinata, e qua conicere licet agi de rebus ad civile ius pertinentibus, de pecunia debita et pignore capiendi. Lego enim haec:

ἴνεται πε
 ματος ἄ
 δὲ πρᾶγμα
 νφιλον ειν-
 λομενον ἡ-
 ἐνέχυρον ληφθῆ
 οὔτως ὀφεί
 — — νειν μεν
 — — τὸ ἴδιον
 εδανείστησά

In reliquis huius generis schedulis quum pauciora etiam sint, quae legi possint, operae precium non est quaerere, unde illae decerptae sint.

Progredior iam ad ipsa Cassii Dionis fragmenta, reperia in schedulis quinque, quae agglutinatae sunt foliis 212., 213., 214., 219., 220., magnitudine fere pares, nec casu ita dispositae aut e variis locis conflatae, sed apparet priores tres olim inter se coniunctas fuisse et item posteriores duas, quod recte me repperisse docent aperte ipsa verba, ut infra a me composita sunt. Quum enim Strabonianorum foliorum exteriores tantum margines periissent, non opus erat ad lacunas explen-

das admodum latis foliis; et quinque quidem haec habent fere latitudinem trium digitorum aut paulo plus; altitudine autem necessario eadem sunt qua folia Straboniana, id est digitorum fere novem. Sed unum tantum folium est 213., quod ita e Dionis codice exsecuit librarius, ut id eodem modo quo in illo positum fuerat, in Strabonis quoque codice poneret; itaque hoc folium altitudinem priorem servavit nisi quod margo superior vacuus, qui fere duorum digitorum fuisse videtur, resectus est, ut altitudo paulo minor codicis Straboniani aequaretur; inferior vero margo servatus est integer et praeterea lineae omnes a summa ad imam, quae sunt numero 34., quem quidem numerum probabile est in omnibus Dionis foliis observatum esse, quum scriptura sit admodum accurata et aequalis. Sed ex folio hoc 213. ut altitudo perditii codicis intelligi potest, ita non potest latitudo, cuius tres tantum, ut dixi, digitos librarius servavit; eam vero demonstrant integram reliqua folia quattuor. Haec enim omnia inversa sunt ita, ut quae eorum in Dionis codice latitudo fuerat, ea in Straboniano fieret altitudo, et contra quae fuerat altitudo, fieret latitudo; quo factum est, ut fragmentorum lineae in his foliis servarentur integrae; tota enim earum latitudo in Straboniani codicis altitudine non solum locum habebat commode sed eam ne aequabat quidem; qua re coactus est librarius non unius folii latitudinem adhibere sed adiungere partem alterius, quod illi cohaerebat; quum enim membrana omnis in bina complicata esset folia, haec librarius explicuit, et secundum latitudinem dissecuit, non tamen continuata sectione ab unius folii exteriori margine ad eundem marginem alterius; sed cum paulo supra plicam pervenisset fere ad medium alterius folii, substitit eiusque partem anteriorem in altitudinem servavit integram, ita ut haec fere totius rei forma esset:



Folium igitur 213. resectum est ut FG ; reliqua vero ut HI , in quibus apparet binorum foliorum partes coniunctas esse, et folia quidem 212. et 214. cum folio 215. plane ita cohaeserunt ut HI et LA cum GF ; contra folia 219. et 220. ut FM et NO . Haec mihi fusius explicanda putavi, ne qua in ordinandis foliis obscuritas aut dubitatio relinqueretur. Signabo autem folia ita, ut A significet eius folii partem, cuius integra latitudo est, ut IE ; B autem alterius partem illi cohaerentem, ut EP ; a contra significabit paginam rectam, b paginam versam.

Scriptura elegans est et aequalis seculi fere decimi. Compendia sunt paucissima; nulla enim alia repperi nisi ζ pro $\kappa\alpha\iota$, et pro ν interdum in versus fine praecedenti litterae linea superponitur; denique semel $\sigma\bar{\eta}\iota\alpha$ legitur pro $\sigma\omega\tau\eta\eta\iota\alpha$, quae omnia cum aliis quibusdam iam in vetustissimis libris Mss. reperiuntur. Interpunctio satis frequens est et a nostra multum discrepans, apta tamen et plena iudicii; non enim sententiae solum sed etiam sententiarum membra simplici puncto disiunguntur, idque non pro structura grammatica, sed prout verba quaeque inter se coniuncta sensum aliquem se contentum exprimunt. Ubi narratio ad novam aliquam rem et a praecedentibus diversam progreditur, non videtur alia quam illa interpunctio poni, nec vero post hanc interpunctionem ponitur maior littera aut in novum versum transitur, sed sequentis versus prima littera profertur in marginem et maior est, quamquam vox, cuius ea littera est, neque exordium neque summam aut caput novi argumenti

continet; quod ita esse, satis demonstrant exempla duo fol. 213. b. et 219. B. a.; in uno tertio quod est fol. 219. A. b. cecidit commode, ut argumentum novum cum versu novo initium caperet; quartum in fol. 220. B. a. quale fuerit sciri non potest. Ceterum capitum summae in margine adscriptae sunt, ut fol. 220. A. a. et 219. A. b., eaeque interdum nominibus tantum continentur, ut fol. 220. A. b. quae nonnunquam potius memoriae causa scribebantur, quam ut argumentum indicarent, cuius rei exemplum est fol. 214. A. b. Denique quum fol. 212. A. b. prodigia enarrentur, librarius in margine ordinem eorum numeris positus indicavit.

Praecipua autem virtus codicis in eo cernitur, quod omne genus vitii ita liber est, ut vix quicquam videre possis emendatius; etenim non solum graviora vitia absunt, quae sententiam corrumpant, sed minora quoque haec, quae in recentioribus codicibus frequentissima sunt, quum propter pronunciationis similitudinem η , ι , \omicron , υ inter se commutarentur, praeterea α et ϵ , o et ω aliaque plura. Quamobrem haud facile crediderim ullum in his fragmentis vitium esse, quod coniectura tolli debeat ibi quidem, ubi de eo, quod scriptum est, dubitare non licet; excipio paucissima, ut $\acute{\alpha}\nu\epsilon\pi\acute{\iota}\sigma\theta\eta$ pro $\acute{\alpha}\nu\epsilon\pi\epsilon\acute{\iota}\sigma\theta\eta$, $\varphi\rho\upsilon\acute{\rho}\omega\upsilon$ pro $\varphi\upsilon\acute{\rho}\iota\omicron\nu$ positum et si quae alia infra commemorabuntur. Accentus diligenter videntur positi fuisse; eorum tamen magna pars evanuit; quam vero nos nunc in inclinando accentu rationem sequimur, eam neque in hoc codice reperias neque in ullo alio. Denique iota subscriptum nullum est; neque tamen constanter ubique adscriptum; hoc enim in foliis 219. et 220. multo frequentius est quam in prioribus.

Sed priusquam ipsa fragmenta describo, alia nonnulla dicenda sunt de eorum auctore et argumento, quas res vellem sane liceret mihi paulo diligentius tractare; neque enim fugit me, quae et quanta in hac parte agenda sint, quorum quod alia silentio transmitto, alia vix leviter attingo, nec

mirari debet nec indignari quisquam; fateor enim ingenue, cum raptim haec et praecipiti plane festinatione scribam, noluisse me ullam instituere quaestionem, quae longiora studia aut adiumenta plura desideraret quam paucissima ea, quae in manu sunt; accedit quod ex longo tempore diversissimis studiis occupato non licuit accuratius tractare Cassium Dionem, quem non melius noram quam alium quemvis scriptorem, ad quem non praecipuo aliquo studio aut singulari necessitate traharis. Quibus igitur argumentis usus sum, ut huic potissimum fragmenta mea tribuerem, ea fortasse nec omnium gravissima sunt nec per se sola sufficiunt; sed tamen, quum errare me non putem, facile iis acquievi; et vero etiamsi errem, nec crimen magnum erit nec damnum.

Iam primum hoc mihi manifestum videbatur esse, nec Polybium nec Appianum posse fragmentorum auctores haberi, quorum ille haud dubie de iisdem rebus scripsit fusius, interposito suo iudicio, additisque praeceptis ad remp. administrandam bellaque gerenda utilibus et quae alia sunt, quibus senex loquaculus, uti eum Schneiderus alicubi ad Aristot. Polit. appellavit, pragmaticum historiae scribendae genus suo more sectatus est. Appianus vero omnino nullum librum scripsit eo modo institutum, ut horum fragmentorum argumentum simul complecteretur, quae neque in eius Punica historia neque in Macedonica locum habere possunt. Restant Diodorus Siculus et Cassius Dio, de quibus maior dubitatio esse potest; nam de aliis cogitare rerum Romanorum scriptoribus, quorum libri iam antiquis temporibus perierunt, importunum sit et ineptum. Sunt tamen illi quoque auctores adeo diversi, ut paulo quidem ampliores partes non possint utrique pariter tribui; diversum est dicendi genus, diversa rerum narrandarum et ordinandarum ratio, quorum utrumque in his fragmentis si confideres quale sit, non puto Diodorum agnosces, sed omnino Cassium Dionem, quod ut aliquo certe utriusque rei specimine confirmetur, de dicendi

genere memorabo particularum δὲ δῆ usum, qui in fragmentis reperitur saepe; vid. III, lin. 8. VI, lin. 1. sq. lin. 23. VIII, lin. 5. lin. 7. XII, lin. 7. XIV, lin. 10. et fortasse X, lin. 12. Est autem haec res, ut equidem existimo, eiusmodi, ut in ea peculiarem unius scriptoris consuetudinem agnoscas; neque momentum ullum habet, si demonstretur, Diodorum quoque δὲ δῆ particulis usum esse, quod fieri posse facile largior; quis enim iis non usus est? Frequens autem consuetudo illa, in coniungendis rebus diversis δὲ δῆ dicere, non est Diodori, est vero Cassii Dionis. Taceo alia huius generis, quae nunc comprobare non vacat. Sed consideret aliquis, qua ratione Diodorus et Cassius tempora annosque notare soleant, cuius rei in fragmentis unum exemplum est; vid. IV, lin. 4. Id vero neminem fugit non posse in Diodorum cadere, qui annos operosius separat et praeter consules etiam Atheniensium archontes appellat.

Denique misso hoc argumentorum genere aliud adhibebo, quod quoniam firmissimum est, more consueto ultimum ponam. Quum enim singulari casu factum sit, ut omnium scriptorum, quorum adhuc mentionem feci, libri ii perierint, in quibus belli Punici secundi Macedonicique primi historia narrata erat, ex eorum fragmentis et excerptis, quae haud pauca admodumque diversa reperta sunt, intelligere fortasse licet, cuius scriptoris ea sint, quae nunc edo, quae quidem non excerpta esse sed ex integro codice ablata non obscurum est. Quamobrem quum Dionis Diodorique fragmenta et quae dudum edita sunt et quae nuper repperit Maius fugitivo oculo percurrerem, nihil inveni, quo possem in rem meam uti; fateor tamen eam quaestionem iterum et diligentius instituendam esse. Inveni vero aliud tacitum testimonium, quod mihi instar omnium fuit. Constat enim *Zonaram* Chronicon suum e variis scriptoribus bonis compilasse, quorum pars nunc interiit; is igitur eo quoque scriptore usus est, cuius nostra fragmenta sunt, e quibus quae iisdem servatis verbis

excerpsit, ponam infra. Fuisse vero eum in hac historiae parte Cassium Dionem, quum ex aliis fortasse rebus sciri potest, tum ego ex hoc intellexi, quod loci quidam Zonarae, qui ad Scipionem pertinent, in Excerptis Peirescianis Cassii Dionis reperiuntur; qui quidem loci quoniam rerum temporumque ordine arcte cohaerent cum iis, quae ex nostris fragmentis excerpit, utrorumque quin eundem fontem habuerit, vix licet dubitare. Et vero Dione usum esse Zonaram frequentissime, dudum iam alii multi animadverterunt, quorum nonnullos appellavit Du Fresne in praefat. ad Zonaram.

Haec sunt, quae de auctore fragmentorum in praesenti disputare succurrebat; quae sive vera sunt sive falsa, quum inedita sint fragmenta haud dubie et scriptoris haud contemnendi, grata accidere debent omnibus, qui litteris nostris favent, quamquam ipsae quidem res gestae in iis non ita narrantur, ut historiae quoque insigne incrementum accedat; plenius enim easdem res narratas habemus a Livio, et in quibus forte ab illo fragmenta discrepant, ea pleraque omnia dudum licuit cognoscere e Zonara. Illud vero gravius est, quod luculento exemplo discimus, et Cassius Dio quomodo res antiquiores tractaverit, quaeque ei cum Livio intercedat ratio, et Zonarae qui sit in hac parte fons et quomodo eo usus sit; quae omnia nondum, quod sciam, accurate a quocquam disputata sunt; de Zonara tamen sperare licet accurate mox quaesitum esse Pinderum, v. cl., qui, postquam Beckerus Ratzeburgensis destituit hanc provinciam, novam eius editionem curat. Denique hoc tacere non possum, inventis his fragmentis spem augeri, fore ut aliquando integrum Cassii Dionis opus restituatur; constat enim ex reliquis fragmentis, quae multa et varia sunt, eos quoque libros, quibus nunc caremus, in manibus fuisse hominibus Graecis haud amplius duobus seculis ante inventam artem typographicam; quorum librorum exempla omnia periisse in imperii Byzantini ruina facile quis putaverit, qui consideret, fragmenta adhuc

collecta non esse ex ipsis Dionis codicibus petita, sed ex aliorum libris, qui ea excerpserant; sed id secus esse, nunc apparet; habemus enim folia decerpta ex ipso aliquo integro Dionis libro, quem plus quam seculo post deletam Constantinopolin a nefario Gallico librario dissectum esse verisimile est.

Vellem vero quae nunc primus in lucem profero fragmenta, ita emendata et integra proferre liceret, qualia futura erant, si minus male habita essent quinque illa folia, quorum formam fortunamque enarravi. Nunc vero tot in his manca, tot dubia supersunt, ut amplam habeant materiam, qui coniecturis delectantur. In his equidem nunc haud poenitentiam operam posui, nec pauca sunt, quae quum coniectura repperissem, postea egregie comprobari vidi, quum Zonaram comparassem aut scripturam medicamine elicussem; quae vero reliqua sunt, nolui omnia attrectare; nemo enim in his rebus vim sibi facere debet, nec cogi potest divinatio. Quamobrem de coniectura ea tantum posui, quae facile succurrebant. Quae non potuerunt ita legi, ut dubitatio nulla esset, minoribus litteris describi iussi; et dubias quidem singularum litterarum reliquias poteram etiam plures adnotare; sed id et longum est et inutile, praesertim quum ob oculos ponere non possim ipsam illam figuram, quam haec aut illa litterae pars reliquit, ita ambiguam, ut litteram ipsam augurari nequeas. Praeterea spatia accurate descripsi, in quibus aliquid periit, amissarumque litterarum numerum, quoad eius fieri potuit, punctis indicavi, hoc quoque servato, ut eosdem versuum initia exitusque facerem, quos habet codex. His praedictis, quae ad fragmenta omnia pertinent, ipsa nunc subiiciam, pauca deinceps de singulis additurus, quae memoratu digna videbuntur.

I. Fol. 214. A. a.

μέντοι καὶ ἠθέλησε τοῦτον τίσασθαι· προὔποπτευθεὶς γὰρ ἔφυνγε καὶ εἰς τὴν Αἰβύην ἐλθὼν πολλὰ μὲν καθ' ἑαυτὸν πολλὰ δὲ καὶ μετὰ τῶν Ῥωμαίων καὶ τὸν Σύφακα καὶ τοὺς Καρχηδονίους ἐλύπησεν· Ὁ Σηπίων δὲ ἐπειδὴ πάντα τὰ ἐντὸς τοῦ Πυρηναίου τὰ μὲν βία τὰ δὲ ἐδμολογία προσεποιήσατο, τὸν στόλον τὸν εἰς τὴν Αἰβύην ἠτοιμάζετο, ὥσπερ εἴ ἠφίετο· καὶ γὰρ τοῦτο καίτοι πολλῶν ἀντιλεγόντων ἐ[π]ειράπη τότε· καὶ τῷ Σύφακι συγγενέσθαι ἐκελεύσθη· καὶ ἐξείργαστό τι τοῦ φρονήματος τοῦ ἑαυτοῦ ἄξιον· ἢ γὰρ Καρχηδόνα εἶλεν ἂν τὸν πόλεμον αὐτῇ περιστῆσας, ἢ τὸν Ἀννίβαλ ἐκ τῆς Ἰταλίας ἐξήγαγεν, ὅπερ ὕστερον ἔπραξεν, εἰ μὴ οἱ ἐν οἴκῳ Ῥωμαῖοι τὰ μὲν φθόνῳ αὐτοῦ, τὰ δὲ καὶ φόβῳ ἐμποδῶν ἐγένοντο· τό τε γὰρ νέον πᾶν μειζόνων ἀεὶ ἐπορέγεσθαι καὶ τὸ κατορθοῦν πολλάκις ἄπληστον τῆς εὐπραγίας εἶναι νομίζοντες χαλεπώτατα ἂν ἠγοῦντο νεανίσκου ψυχὴν ἀχχίματι πρό . . .

II. Fol. 212. A. a.

. X . . . οὐκ ἐκείνῳ πρὸς τε δυναστείαν καὶ δόξαν ἀλλ' ἑαυτοῖς πρὸς τε ἐλευθερίαν καὶ σωτηρίαν συμφέρη χρῆσθαι, κατέλνον αὐτὸν, καὶ ὃν αὐτοὶ προῆγον εἰς τὰ πράγματα ἐν χρεία αὐτοῦ γενόμενοι, τοῦτον ἐθελονταὶ καθήρουν, ὅτι μείζων τῆς κοινῆς ἀσφαλείας ἐγεγόνει· καὶ τοῦτον οὐκέτι ὅπως Καρχηδονίους παντελῶς δι' αὐτοῦ καταπολεμήσωσιν, ἀλλ' ὅπως μὴ ἑαυτοῖς τύραννον ἀνθαίρετον ἐπασκήσωσιν ἐσκόπουν. Τῶν οὖν στρατηγῶν δύο αὐτῷ διαδόχους πέμψαντες ἀνεκάλεσαν αὐτόν· καὶ τὰ μὲν ἐπινίκια οὐκ ἐψηφίσαντό οἱ, ὅτι ἰδιότης τε ὢν ἐστράτευτο καὶ ἐπ' οὐδemiῶς ἐνόμου ἡγεμονείας ἐξήταστο· βοῦς μέντοι ἑκατὸν λευκοῦς ἐν τῷ Καπιτωλίῳ θῦσαι καὶ πανήγυριν τινὰ ἐπιτελέσαι, τὴν τε ὑπατίαν εἰς τὸ τρίτον ἔτος αἰτῆσαι ἐπέτρεψαν· αἱ γὰρ

III. Fol. 214. A. b.

ἔς νέωτα ἀρχαιρεσίαι φερούσ . . ἐγεγόνεσαν. Ἐν δὲ τοῖς αὐ-
 τοῖς τούτοις χρόνοις καὶ ὁ Σουλπίκιος μετὰ τοῦ Ἀττάλου
 Ὠρεὸν μὲν προδοσία, Ὀπουῖντα δὲ . . δ . . . ισχυρὸν ἔ-
 λαβεν· ὁ γὰρ Φίλιππος οὐκ ἠδυνήθη σφίσι διὰ χθ . .
 καίπερ ἐν Δημητριάδι ὧν ἐπαμῦναι, ἐπειδὴ οἱ Αἰτωλοὶ
 τὰς διόδους προκατέσχον· ὁψὲ δ' οὖν . . π . . . θ . . . ε ς
 καταλαβὼν τὸν Ἀτταλον τὴν λείαν τὴν ἑαυτοῦ ο τ .
 διατιθέμενον, ἐκείνῳ μὲν γὰρ αὐτῆ, [τ]οῖς δὲ δὴ Ῥωμαί-
 οισ ἢ ἐκ τοῦ Ὠρεοῦ ἐγένετο, ἔς τὰς ναῦς αὐτὸν κατήραξεν·
 ὥστε τὸν Ἀτταλον διὰ τε τοῦτο καὶ διὰ Προυσίαν τὸν Βι-
 θυνὸν βασιλέα, ἐσβαλόντα τε ἐς τὴν χώραν αὐτοῦ καὶ
 πορθοῦντα αὐτὴν ἀποπλεῦσαι κατὰ τάχος οἴκαδε.
 Ὁ μέντοι Φίλιππος οὐχ ὅσον οὐκ ἐπύρθη τούτῳ, ἀλλὰ καὶ
 σπεισασθαι τοῖς Ῥωμαίοις ἠθέλησε καὶ μάλισθ' ὅτι καὶ
 ὁ Πτολεμαῖος πρέσβεισ ἐκ τῆσ Αἰγύπτου πέμπων
 συνήλλατιεν αὐτοῦσ καὶ τινων λόγων σφίσι γενομένων

IV. Fol. 212. A. b.

ρήνην οὐκέτι ἤτησεν ἀλλὰ
 δ[ὲ Αἰτ]ωλοῦσ ἀπὸ τῆσ συμμαχίας τῆσ τῶν Ῥωμαίων
 ρ τιν ἀποσπάσασ, [φιλ]ίου[σ] ἐποίησατο; οὐ μέντοι
 καὶ ἐπράχθη τι μνήμησ ἄξιον, οὐθ' ὑπ' ἐκείνων οὔτε
 ὑπ' ἄλλων τινῶν οὔτε τότε οὔτε ἐν τῷ ὑστέρω ἔτει ἐν ᾧ
 Λουκίος τε Οὐτετούριος καὶ Καικίλιος Μέτελλοσ ὑπάτευ-
 σαν· καίπερ σημείων πολλῶν καὶ δυσχερῶν τοῖσ Ῥω-
 μαίοις γενομένων· ἀρνίον τε γὰρ ἀρῶνοθῆλυ ἐγεν-
 νήθη καὶ σηῆνοσ ὅ εἰον ὠφθη κατὰ τε
 τῶν θυρῶν τοῦ ναοῦ τοῦ Αἰὸσ τοῦ Καπιτωλίου ὄφεισ
 δύο κατώλισθον καὶ ἰδρῶτι πολλῇ αἶ τε θύραι τοῦ Ποσει-
 δονίου καὶ ὁ βωμὸσ ἐρῶνῆ ἐν τε Ἀντίῳ στάχυεσ αἱματώ-
 δεισ θερίζουσι τισὶν ὠφθησαν καὶ ἐτέρωθι γυνή κέ-
 ρατα ἔχουσα ἀνεφάνη· κεραννοὶ τε ἐς ναοῦσ πολλοὶ

Fol. 214. B. a.

V. Fol. 213. a.

σχοιτες· στρατόπεδ[όν] τε ἐν ἐπιτηδείῳ ἐποιήσαντο, καὶ
 πᾶν αὐτὸ σταυρώμα[σι] περιεχάραξαν, χάρακας ἐπ' αὐτὸ
 τοῦτ' ἐνεγκάμενοι· [οὐκέ]τι τε κατεσκεύαστο, καὶ δράκων
 παρ' αὐτὸ μέγας διὰ [τ]ῆσ' ἐπὶ τὴν Καρχηδόνα φερούσης
 ὁδοῦ παρείρπυσεν· ὥστε καὶ ἐκ τούτου τὸν Σκιπίωνα
 κατὰ τὴν περὶ το[ύτ]ων . . [ἐ]αυτοῦ φήμην ἐπιθαρσή-
 σαντα προθυμότη[ε]ρ[ον τὴν τε] χῶ[ρ]αν πορθῆσαι, καὶ
 ταῖς πόλεσι προσμί[ξ]αι· καὶ τινὰς καὶ εἶλεν αὐτῶν· οἱ τε
 Καρχηδόνιοι μηδ[έ]πω . φ [π]α[ρ]εσκευασμένοι ἡσύ-
 χασον· καὶ ὁ Σύφαξ [τῆ] γ[ε] μ[ὲν] δόξῃ φίλος αὐτῶν ἦν τῷ δὲ
 ἔργῳ ἐκ μέσου εἰστή[κει]· κελ[εῦ]ον γὰρ πρὸς τὸν Σκιπίωνα
 καταλλαγὰς αὐτοῦ . . ρ α ε σ χ . . . [οὐκ] ἐβούλετο κρατή-
 σαντας τοὺς ἑτέρο[υ]σ τῶν τε ἑτέρων] ἅμα καὶ ἑαυτοῦ
 δεσπότας γενέσθαι, ἀλλ' ἔτι ἀντιπάλο[υ]σ ὅτι μάλιστα
 ἀλλήλοισ' ὄντας ἐ[αυτῶ]ν δ[ια]λλ[ά]ξαι. Ἐγκειμένου δ' οὖν
 τῆ χῶρᾳ τοῦ Σκι[πί]ωνος] χος ἦν δὲ
 φ . ξ . . εινος μὲν τὸν
 διεστ . . . [ἀ]νεπισθῆ πρὸς
 [τοῦ Μασινίσου] χω [Κα]ρχηδονίους
 ν πολεμικῶν

Fol. 212. B. a.

ομ . . . ριασ ἐν π νε . . . ε . φ . . . σιν ἐπιστεῦετο
 κακ τούτου προ δ . . ν . . ἐνήδρευεν
 ἔσ χωρία ἐπιτήδ[εια, οἷ] ἔμελλον . . . χα καταδρομὴν ποι-
 ούμενοι ὑποφει[ύγειν], ἐπι τοὺς ἐπιδιώξαι
 σφᾶσ ἐθελήσου[ν]τ[ας] γ[ε]νομ[ένου] δὲ τούτου καὶ τῶν Καρχη-
 δονίων ἐπέξελεθ[όντων] [καὶ] ἐκ[είνοι]σ[ι] καὶ δι . . . ου κατὰ τὸ
 συγκείμενον τραπομ[ένου]σ ἀνὰ κράτος ἐπισπομένον
 ὃ τε Μασινίσασ[σ] μετὰ τῶν] ἀμφ' αὐτὸν ἰπέων ὑπολή-
 φθεις κατὰ νῶ[του τοῖ]σ διώκου[σι]ν ἐγένετο καὶ ὁ Σκιπί-
 ων ἐξαναστάσ ἐκ τοῦ λόχου] ἐπι[ώ]ν ἀπήντησεν αὐτοῖσ
 ὥστ' ἀμφιβόλουσ [δί]χα ἀποληφθέντας καὶ ἀποθανεῖν
 πολλοὺσ καὶ ἀλ[ῶ]ναι] δ . ε καὶ τὸν Ἄωννα· πυθό-
 μενος δὲ τοῦ[το] ὁ Ἄσδρ[ο]ύβασ τὴν μητέρα τοῦ Μασι-

VI. Fol. 213. B.

Fol. 214. B. b.

νίσσου συνέλαβε καὶ ἐκείνοι μὲν ἀν[τ]απεδόθησαν· ὁ δὲ δὴ Σύφαξ εὖ τε εἰδὼς, ὅτι ὁ Μασινί[σ]σας οὐ Καρχηδονί-
οις μᾶλλον τι ἢ καὶ αὐτῷ πολεμήσει καὶ φοβηθεῖς, μὴ
ἐν ἐρημίᾳ συμμάχων, ἀντι ἐκείνοι[οι] ἐγκαταλειφθέντες
ὑπ' αὐτοῦ πάθωσι, γένηται, τὴν [τε] προσποιήτων πρὸς
τοὺς Ῥωμαίους φιλίαν ἀπέπε· [καὶ] τοῖς Καρχηδονί-
